Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31633
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

duricia conuertat. Sicut ergo sepe dominus suorum uitam temporaliter a persecutorum euersione eripit: ita sepe suorum uoces propter dampnationem persequentium non exaudit, ut uidelicet inde reatum suum cumulent, unde preualuisse se nequitie gaudent. Nam qui inuisibilia despiciunt, moueri nunquam uisibilibus miraculis possunt; sed idcirco cum iustis plerumque nil mirum uisibiliter agitur, quia eorum aduersarii illuminari inuisibiliter non merentur. Dicatur ergo: Ibi clamabunt et non exaudiet, propter superbiam malorum. Ac si diceret: Reatus opprimentium audiri prohibet uoces oppressorum; nec eripiuntur uisibiliter iusti, quia saluari non merentur inuisibiliter iniusti. Unde rursum per prophetam dicitur: Cum uiderit sapientes morientes, simul insipiens et stultus peribunt. Quos enim uisibiliter mori conspiciunt, inuisibiliter uiuere posse non credunt, atque eo reatum infidelitatis sue cumulant, quo uisa morte fidelium de eternitate desperant. Igitur uiolenti quique inde deterius deficiunt, unde contra uitam innocentium exterius conualescunt; tantoque illos intima ueritas a se foras eicit, quanto eos contra suos temporaliter quod uolunt posse permittit. Quisquis itaque bonorum uitam persequitur, tunc peiore ultione dampnatur, cum nulla ei aduersitate resistitur; et tunc fortioris ire periculis subiacet, cum prospere peragit quod nequiter concupiscit: quia uidelicet uindicta superni iudicii ad futura eum supplicia seruando deserit, cui hic in malo obuiare contempnit. Hinc enim per prophetam dominus dicit: Dimisi eos secundum desideria cordis eorum, et ibunt in uoluptatibus suis. Hinc rursus dicitur: Non est uirga dei super illos. Hinc etiam de ipso eorum capite scriptum est: Faciet et prosperabitur. Hinc rursus de eodem dicitur: Et dolus in manu eius dirigetur:

In manu quippe antichristi dolus dirigetur, quia in hoc quod contra bonos proposuerit implere temporaliter nulla aduersitate prepeditur. Hinc rursus per Salemonem dicitur: Prosperitas stultorum perdet illos. Manifestum ergo perditionis iudicium est, quando affectatis iniquitatibus subsequens fauet effectus, et nulla contrarietas impedit quod mens peruersa concepit. Nam sepe prauorum hominum diu tardantur uota mutantur, et dum difficultatem perfectionis sentiunt, reatum male actionis agnoscunt, et quibus prius inuitis contra dicitur, uolentes postmodum hoc quod conceperant auersantur. Cum ergo malos cum deserit dominus preualere permittit, et unde superborum nequitia perficitur, inde humilium longanimitas consummatur. Dicatur recte: Ibi clamabunt et non exaudiet, propter superbiam malorum. Sequitur: Neque enim frustra exaudiet deus, et omnipotens singulorum causas intuetur. Notandum quod duo sunt dicta, quia et clamantem non frustra audit deus, et tamen quod patitur respicit; et exaudire uoces dissimulat, et quod unusquisque tolerat non ignorat. Nemo ergo qui tardius auditur, credat quod a superna cura negligatur. Sepe enim nostra desideria quia celeriter non fiunt exaudiuntur, et quod implere citius petimus, ex ipsa melius tarditate prosperatur. Sepe uero nostra eo perficitur quo differtur, et cum superficietenus petitio negligitur, uota nostra altius in cogitationum radice conplentur. Sicut et semina messium gelu pressa solidantur, et quo ad superficiem tardius exeunt, eo ad frugem multiplicius consurgunt. Desideria itaque nostra dilatione extenduntur ut proficiant, proficiunt ut ad hoc quod peruentura sunt conualescant. Exercitantur in certamine, ut maioribus premiis cumulentur in retributione. Labor protrahitur pugne, ut crescat corona uictorie. Suos ergo dominus cum uelociter non exaudit, quo repellere creditur trahit. Interius quippe est medicus, et